



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. Quomodo nihil innovandum sit lite pendente in causis beneficialibus?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

possit, cum subrogatam assumat naturam & conditionem ejus, cui subrogatur.

## §. III.

*Quomodo nihil innovandum sit lite pendente in causis beneficiis?*

**I**N casu, quo duo in discordia electi presentati, postulati, &c. ad eandem Prælaturam inter se apud Iudicem competentem litigant, & unus ex illis, pendente lite, moriatur v. g. aut juri suo renuntiet, & à persecutione causæ cesset, non potest ad aliam electionem, lite circa alterum pendente, procedi, ita ut nova electio attentata sit ipso jure irrita, c. *Dispensis* l. h. t. in 6. (Nisi notoriè constet, litem talem in fraudem novæ electionis motam fuisse, & neutri litigantium ius aliquod competere.) Statuente hoc Bonifacio octavo contra jus antiquum in c. *Ex parte* 10. *De arbitris*. ne superstiti litiganti jus suum adimatur, non examinata causâ, & ut sciatur, cui nam pro illa vice jus eligendi competat. Pari modo, si lis alicui super beneficio jam obrento moveatur, non debet alteri

fieri collatio hujus beneficii, super quo lis mota est, etiam si lite pendente ille moriatur, donec contra superstitem, qui litem movit, fuerit hæc finita, prout statuit Pontifex in c. *Si ij.* 2. h. t. in 6. Quod si verò duo de beneficio litigantes in Curia moriantur, collatio talis beneficii ad Papam pertinet, & ad Ordinarium, si uterque extra Curiam moriatur, nisi non tam ad illos, quam ad tertium aliquem jus beneficii talis pertinet. Si autem unus in Curia moriatur, & alter extra Curiam, ille verò, qui in Curia moritur, beneficium possederit, ad Papam iterum pertinet collatio, ad Ordinarium autem, si ille possedit beneficium, qui extra Curiam moritur, si verò neuter possidebat, uterque tamen mortuus est, unus in Curia, alter extra, collatio pertinet ad Pontificem, si superstiti tamen unus litigantium, & litem prosequatur, non confertur beneficium, dum suspendet, confertur tamen à Papa, vel Ordinario, prout litis decisio, vel pro defuncto in Curia, vel pro alio facta fuit, statuente *Clemente*. *Si duobus* l. h. t.

## TITVLVS XVII.

## DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONVM ET FRUCTVM.

## §. I.

*Quid sit sequestratio, siue sequestrum, & quotuplex, & quæ res sequestrari possint?*

**S**equestrum est rei controversæ, vel fructuum ejus apud quendam ter-

tium, & inter litigantes medium, quod sequester dicitur, facta depositio, ut sit finita ei, qui vicerit in causa, restituenda. Sunt quidem, qui volunt possessionem transferri in Sequestrem, si iudicis auctoritate, invito etiam possessore, res sequestratur; contrarium tamen est probabile.